



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio II. An mediate Revelatum sit Objectum Fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

assensus erit naturalis, ad quem tamen sufficit ipsemet intellectus, assumens pro motivo dictam Revelationem.

DICES Secundò, Actum illum fidei non fore simpliciter fidei, nec posse denominare fidelem, idque ideo quia modus assentiendi ex fide importat assensum firmissimum.

RESPONDETUR. Fidelem non denominat in presenti materia, nisi actus supernaturalis, prædictus autem actus, esset ut dixi, merè naturalis.

DICES Tertiò. Ab eodem habitu possunt elici actus non solum perfectissimi; sed etiam minus perfecti, ut patet in charitate, quæ non semper vult æqualiter placere Deo: interdum enim amat Deum super omnia, ubi est non nisi obligatio præcepti gravis, qui est imperfectior: interdum autem ita amat, ut se extendat etiam ad ea, ubi non est obligatio gravis. Possum item Petro assentiri firmiter, si mihi clarè constet de ejus reificatione; non ita autem perfecte, si mihi minus clarè constet. Ergo etiam poterit à fide elici ille assensus, quamvis non habeantur motiva sufficientia credibilitatis, vel poterit etiam positivè discedi alicui objecto parvo quantumvis revelato.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia nihil deest habitui charitatis, quominus ad illum actum non nisi mortalium exclusivum se extendat; deest autem (ex dictis) fidei, directio prudentia supernaturalis, consequenter imperium assensus firmissimi. Deinde cum actus amoris sit actus liber, potest pro sua parte ipsa potentia elicitiva illius, & habitus, movere se vel non movere, modò fervetur substantialis charitas, non recedendi à DEO tanquam ultimo fine. Quia autem actus fidei est actus imperatus quidem à voluntate, elicitus tamen ab intellectu elevato, qui est potentia necessaria, hinc si habeat omnia requisita ad assentiendum, necessariò debet assentiri, nisi motivum ipsum abiciat, consequenter sive sint credenda quoad Materiam magna, sive non, necessariò credi debent, si habeantur requisita, necessariò inquam credi debent, (dum ereduntur) actu certissimò.

Rursus Substantialis charitas est in constitutione Dei tanquam ultimi finis, quod stat cum hoc, quantumvis aliquis amet peccata venialia. Jam autem substantialiter fides stat in hoc, credere scilicet DEO dicenti; & quia tam parva quam magna dicit, si ei in parvis non credas, impetis ipsum substantiale fidei; ad eum modum quo impeteres, si vi charitatis non tantum deberes Deum tanquam ultimum finem constituere, sed ab illo non deviare, tunc enim, non detestatio venialis, ageret contra substantiam charitatis. Denique quia Veritas cum in indivisibili consistat, hinc æquo pondere, vel magno vel parvo objecto se conjungit; & si semel

est ratio assentiendi verè, semper erit. Hinc principium: Omne totum est majus sua parte, æquè tenet de ligno centum palmari, atque de ligno monopalmar; Bonitas autem licet in Entitate sit indivisibilis, nihilominus in modo opponendi se opposito, non æquè se habet; minus enim minori, magis se opponitur majori. Si autem ejus oppositio non in indivisibili consistit, poterit salvo substantiali charitatis, fieri oppositio mortali, quin fiat veniali: licet hanc majorem vel minorem oppositionem, excludat prædicamentum veri, competens fidei. Huc etiam pertinent moralitates: quia Charitas Theologica est quædam amicitia DEI ad nos & nostri ad Deum. Ratio autem in humanis amicitia vendicat, ut leves offensæ non veniant in considerationem & dissolutionem amicitia: fides autem datur tanquam assensivum Auctori tati Divinæ: hinc ubicunque illa reperitur, habetur hoc, ad quod ex essentia sua ordinatur, reperitur autem, etiam si Deus parva dicat. Unde etiam in humanis, levioribus offensis, non solvitur amicitia: semper autem est læsio Auctoritatis non credere, serio affirmanti. Denique potest disparitas peti ex fide, quæ docet, quòd committens veniale non amittat charitatem; indefinitè autem docet, quòd non credens Deo sit infidelis, ex quo inferimus amittere fidem, qui discedit.

QUÆSTIO II.

An mediata Revelatum sit Objectum Fidei?

Nomine Immediate revelati venit aliquid in seipso revelatum: nomine autem Mediatè revelati, venit, cum aliquid revelatur non in seipso, sed non nisi in alio.

Revelatio mediata dupliciter ferè dividi potest in Revelationem mediatam confusam, & in revelationem mediatam virtuaalem.

Mediata revelatio confusa est, cum aliquid Deus, in alio explicitè revelato, non nisi implicitè revelat aliud. Revelatio autem mediata virtualis est, cum in alio actu revelato, aliud non nisi tanquam in radice & exigitivo revelatur. Hæc ipsa Revelatio mediata confusa, dividi potest in Revelationem definitionis in definito, in Revelationem partis in toto, in Revelationem particularis in universali. *Prioris* exemplum est, cum revelatur Christus, verbi gratià, esse homo, confusè revelatur, quòd sit animal rationale. *Secundæ* exemplum, cum revelatur quòd Christus sit homo, revelatur confusè quòd habeat animam, & hæc revelatio revocari quidem posset ad priorem: nam inter modos definiendi, est definitio per partes physicas: quia tamen in hac posteriori non attenditur ad utramque partem; sed attenditur non nisi ad unam: cum tamen definitio utraque parte constituatur; ideo adhuc hi modi distingui possunt. *Tertiæ* revelationis exemplum est:

(f) 4

Omnis

Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit; in qua universali confusè revelatur hæc particularis: Petrus invocans nomen Domini salvus erit.

Hæc explicatione terminorum peractâ. *Sic*

DIFFICULTAS I.

An Revelato Definito sit de Fide Definitio?

Affirmat Communis sententia. Negat Arriaga; prima parte disp. 1. & hic disp. 6.

DICENDUM est. *Revelato definito, esse de fide definitionem.* Supple si habeatur illius definitio. In idem recidet si dicas universaliter: Revelationem confusam sufficere ad fidem.

PROBARI solet primò Conclusio. Quia immediatè revelatum, est objectum fidei Divinæ: Confusè autem revelatum est immediate revelatum: quia objecta confusæ revelationis, immediatè continentur in revelato distinctè.

RESPONDERI posset. Argumentum non concludere: nam tota ista immediata contentia, fundatur nonnisi in identitate reali, quæ per arguentes non est sufficiens ut funder articulum fidei: nam risibilitas est idem realiter cum esse hominis: nihilominus tamen per arguentes, etiam si sit de fide Christum esse hominem, non est de fide esse risibilem.

PROBAT Secundò Suarez. Divina revelatio cadit super omnia sub illa universalitate contenta *addo* cadit supra totam Entitatem. Significatur enim nobis verum iudicium DEI de adæquato objecto illius revelationis: & cum in Deo non sit cognitio confusa, iudicium illud DEI attinget, omnia illa contenta.

RESPONDERI posset. Argumentum multum probare: quia probaret etiam risibilitatem Christi, esse de fide quod negati oppositi: non enim datur in Deo revelante Christum esse hominem, confusa cognitio & non adæquatè attingens objectum; cum tamen in objecto quod est homo adæquatè attacto, contineatur risibilitas. *Hinc aliter*

PROBATUR Tertiò Conclusio. Tum quia si confusè revelatum non esset de fide, verbi gratiâ revelato hoc, quod Christus sit homo, si non esset de fide, quod sit animal rationale, id idè esset: quia quod homo sit animal rationale, nullò modò id constaret per revelationem, quamvis in re ipsa verissimum sit, hominem esse animal rationale. Sed hoc non obest: sufficit enim de hoc evidentiâ Metaphysica. Quod ipsum probatur. Non est major necessaria evidentiâ ad assentiendum esse revelatum, quod Christus sit animal rationale; quàm sit necessaria evidentiâ, quod hoc DEUS dixerit, verbi gratiâ Christum esse animal rationale, sed ad hoc sufficit evidentiâ moralis, sita in ipsiusmet motivis credibilitatis. Ergo multò magis sufficiet

evidentiâ Metaphysica. Quando autem ad hoc recurrit Arriaga: Motiva credibilitatis habere aliud objectum, id non convincit, quia motiva ad hoc adhibentur, & ea intentione assumuntur, ut manifestent, *Ly Deus dixit*; quod respicit Fides. Et quamvis haberent aliud objectum rediret argumentum: cur tamen sufficiat antecedentiâ illorum motivorum habentium nonnisi moralem evidentiâ, & cur in præsentem non possit sufficere evidentiâ Metaphysica. Etsi per ipsum Arriagam ut assentiatur DEUM esse veracem, sufficit, ut antecedit cognitio naturalis, quamvis illa non sit evidens ut ipse vult hic disp. 1. num. 66. multò magis sufficiet evidentiâ hæc, quod homo sit animal rationale. Tum quia ad credendum, quod homo sit animal rationale, nec deficit objectum formale, supponimus enim DEUM revelando, quod Christus sit homo, simul revelare quod sit animal rationale. Nec deficit ipse habitus: quia hic extendit se, ad quodcunque revelatum, & dictum à Deo. Nec deficit prudens fundamentum imperandi hunc actum, quod Christus sit animal rationale: habetur enim fundamentum in ipsamet evidentiâ Metaphysica. Ergò credi illud poterit fide Divinâ.

Tum quia esse revelatum quod est revelatum; sufficit ad esse revelatum; sed si revelatum definitum, revelatur & definitio, quod ipsum probatur, quia quando Divinus intellectus in dicendo ad intra, & noscendo, præcindere etiam virtualiter non potest; (suppono enim nunquam Deum formaliter præcindere) eorum uno revelato manet revelatum & aliud. Sed definitionem à definito, totum à partibus simul sumptis, nec virtualiter potest præcindere Deus, quia nec nos, Ergo. Et quamvis certum sit quod pars comparata ad totum distinguatur inadæquatè ab eodem: quia tamen totum ab illis simul sumptis in sui noticia non præcinditur, fit ut si totum reveletur, revelentur & partes.

Obijci Primò Arriaga. Vi hujus doctrinæ sequitur, quod sit de fide Ciceronem esse conceptum in Originali; quia omnis homo concipitur in Originali; & Cicero etiam est homo, & tamen non est de fide absolutè illum esse conceptum. Si enim substantia conceptionis, non est de fide, quomodo circumstantia conceptionis, hoc est, peccatum Originale illum habuisse, erit de fide.

RESPONDETUR. Hoc argumentum potius spectare ad hoc: An revelato Universaliter revelentur particularia, de quo infra. Deinde argumento negari posset Consequentia: nam major est certitudo hominem esse animal rationale, quàm Ciceronem extitisse. Hinc quamvis circa originale Ciceronis, non posset exiri in actum fidei; posset exiri quod Christus, quem fuisse hominem constare ex fide; sit animal rationale.

nale. Quod attinet ad ipsum medium terminum propositum, dici non potest esse de fide, sed non nisi conditionatè Ciceronem sub nomine Ciceronis fuisse in originali conceptum: quia in Universali illa: Omnis homo excepta Beatissima & Christo nascitur in originali physice spectata, includitur etiam Cicero. Sed non est absolute de fide: quia ipsa conditio, sub qua transire iste actus debuit in absolutum, non est nobis ita certa moraliter, ut omnem formidinem expellat: fortè enim Cicero ita se habet sicut Æneas, de quo fabulam non nisi retexuisse Virgilium, multi autumant. Cæterum quæro: An ipsi arguenti sit de fide se esse in originali conceptum. Non potest esse: quia illi non est de fide quod sit homo, si non est de fide: quomodo credit illum articulum omnes homines concipiuntur in originali? imò nec illam universalem credere poterit: quod sint homines, nec est de fide quid sit homo, fortè enim Scriptura est locuta de aliquo alio Ente, quod homo est, & non de eo, quod à nobis accipitur nomine hominis. *Hoc tamen*

Adde. Casu, quo aliquis ita assentiretur ex particulari sui dispositione historiis, ut illis omnem prudentem formidinem pelleret, talis assentiretur actu fidei, quod sit Cicero in originali conceptus. Supposito quod ex objecto etiam existerit, idque ob rationem supra secundo loco allatam; præcipuè, cum sicut, motiva credibilitatis, non requiruntur respectu omnium æqualiter evidentiâ, modo motivum fidei sit Objecto credendo conjunctum; ita & in præfenti, posset illi sine formidine esse nota existentia Ciceronis, non nobis aliis. Suppositoque quod ex objecto ille existerit, nihil deerit quominus ponat actum fidei. Nam & prudenter sibi imperabit assensum fidei, & illum elicere poterit ipse habitus, cum supponatur objectum in re esse revelatum. Diximus autem non esse universaliter de fide, per actum absolutum elicienda, quod Cicero existerit sub nomine Ciceronis. Sed si veniat nomine hoc: quicumque ille cujus Orationes circumferuntur, cum nobis evidens sit illum exstitisse & hominem fuisse; erit etiam de fide illum sic sumptum, conceptum fuisse in originali, credendo id fide absoluta.

Objicit Secundò idem. Cum Consequentia sequatur debiliorem partem, quomodo Consequens potest esse certius, quam una præmissa, quæ tamen non est certa.

RESPONDETUR. Quamcunque præmissam, modò ex objecto sit revelata, prudenterque proponatur, fore de fide.

Objicit Tertiò. Non est determinatè de fide, quod hic vel ille sit baptisatus: quia non est de fide, hoc quod video esse verum hominem. Ergò erit de fide solum sub conditione. Imò nec id tenetur credere fide Divinâ ipse ba-

ptisans: quia non tenetur credere se verè baptisare. Ergò nec puerum verè baptisari: ea enim duo idem sunt. Antecedens probatur. Nam non tenetur credere fide Divinâ se verè loqui: Ubi enim id est revelatum. Ergò nec tenetur fide credere, se verè baptisare: nam baptisare includit, loqui.

RESPONDETUR. Fore solum de fide sub conditione, quod sit aliquis baptisatus, quousque iudicio prudenti non fuerit determinatum, illam conditionem legitime scilicet baptisandi, transisse in absolutam. Quod iudicium prudens, potest formare ipse baptisans, qui cum certus sit physice se loqui: Certus item physice hunc quem baptisat esse hominem &c. fit ut illis suppositis, possit sibi imperare actum credendi, quod hic sit verè baptisatus, supposito quod ipse habitus sit capax extendi ad credenda revelata, & quamvis non sit revelatum immediatè quod baptisans loquatur, quia tamen est de fide, omnem hominem proferentem debite verba, & applicantem materiam, baptisare, cum illi evidens sit quod proferat verba, evidens erit, etiam se fuisse contentum in illa Majori revelata, adeoque erit illi de fide, quod sit baptisatus, consequenter quod ille sit baptisans, erit illi revelatum mediata.

Objicit Quartò. Licet sine dubio, sint vera ea omnia, quæ sunt re ipsâ identificata cum revelatis: tamen non omnia quæ sunt vera, sunt de fide, ea scilicet, de quibus nullò modò constet per revelationem, quod identificentur revelatis; non constat autem de fide, quod hic & nunc non sit error in definitione hominis, ideòque definitum erit de fide, non definitio. Nam de fide est fuisse columbas in templo, quis quæso jam inde inferret, quæ sit definitio columbarum? summum inde inferret fuisse id, quod per hunc conceptum intendimus, declarare.

RESPONDETUR. Si neque per revelationem, nec aliunde certo constet, quod aliquid identificetur revelatis, & quod ab illis præscindere non possit; tunc illud non poterit esse de fide, secus si prædicta reperiantur. Constat autem aliunde quod homo sit animal rationale, & quod hæc præscindi non possint. Illud quod dicitur de columbis non tenet. Nam aliud est ex definito revelato inferre, quæ sit definitio revelati, quod nos non dicimus, experimurque nos non posse inferre, & aliud, suppositâ certâ definitione, verâ ex objecto, habere definitionem pro re revelatâ, quod solum dicimus ob rationes allatas. Hinc si haberemus certam definitionem columbæ ac hominis, etiam illa definitio revelata foret. Quæ incertitudo definitionis columbæ vel exinde oritur: quia non habemus ita exploratas proprias præcipuè internas columbæ operationes ac nostras, & ta-

men

men ex operationibus devenimus in notitiam principiorum, ex principiis in notitiam prædicatorum constitutivorum, quæ sunt definitiva rerum.

INSTAT. Corpus est in loco formaliter per Ubi accidentale modale, nec tamen ideò de fide est Christum in templo habuisse Ubi distinctum.

RESPONDETUR. Non est æquè certum, Ubi esse modalitatem ac hominem esse animal rationale: hinc non habetur fundamentum sufficiens imperandi actum fidei circa Ubi modale Christi, in templo. Casu autem, quo alicui certum id esset, & ex altera parte DEUS etiam sentiret, esse in loco, perfici nonnisi per Ubi modale, tunc ad credendum hoc Ubi, exportigeret se fides, ut in simili dictum supra. Quando autem addit, aliud esse rem includi virtualiter in materia de fide, & aliud eam inclusionem esse de fide. Ad hoc dici potest, hæc quidem distingui, sed ubi aliunde constiterit, esse hanc inclusionem; etiam illa inclusio, erit de fide.

Obicit Quintò. Repugnat esse de fide identitatem unius cum alio, si ea identitas non est revelata. Atqui revelato verbi gratià Ly Homo, non revelatur identitas illius cum animali rationali: universaliterque, quando duæ veritates solis vocibus differunt, tunc sine dubio una in altera revelatur. Nam si de fide est esse gladium, de fide est esse ens.

RESPONDETUR. Negando, quòd revelato Ly Homo, non reveletur identitas illius cum animali rationali: quia ab animali rationali, non est præcisio hominis, hinc si unum reveletur, revelatur & aliud; nec apparet quod ex objecto sit maior identitas inter ens & gladium, quam inter hominem & animal rationale in ordine ad hoc, quòd neutrum illorum ad invicem præscindi possit; si autem præscindi non potest, revelatur; dictum enim supra, ea quæ à se non præscindunt, semper revelari unà.

DIFFICULTAS II.

An Universaliter revelato sint de Fide Particularia?

REvelatio in Universaliter, est revelatio particularium in confuso, quæ phrasim rigorosè loquendo non deberet à nobis acceptari; ne hac phrasi videamur consentire cum iis, qui dicunt, quòd Universaliter, nihil aliud sit, quam singularia confuse cognita. Quia tamen usus obtinuit revelationem Universaliter confusam appellare, cum multis præstabit loqui. Potius enim deberet appellari revelatio in toto potestativo. Porro universalem revelationem, sufficere ad credenda particularia docet Suarez, Valentia, Lugo; quamvis cum aliqua restrictione. Et Ripalda disp. 8. numero 51. Negat disput. 6. Ariaga.

Examinanda argumenta utriusque partis, Affirmativæ partis.

PRIMUM ARGUMENTUM est. Quando aliquid revelatur à DEO, revelatur ejus essentia Physica & Metaphysica, licet non ita distinctè: quia essentia non distinguitur à re revelata. Unde Deus revelans Christum esse hominem, revelat eo ipso, illum habere corpus & animam. Ergo qui revelat Universaliter, revelat illi omnia singularia, quæ sunt quasi partes componentis illam collectionem universalem. Quod ipsum Confirmatur: quia Sacerdos baptizans puerum aqua ex mari hausta, non potest sine Hæresi negare hunc puerum esse baptizatum, & tamen hoc nescit, nisi revelatione universaliter.

RESPONDET huic argumento Lugo. Quod scilicet negans hunc puerum esse justificatum, non videatur esse hæreticus: nam hæreticus is solùm est, qui negat id quod tota Ecclesia Catholica credit, quæ nonnisi sub conditione credit hunc infantem esse justificatum. Imò ipse baptizans potest cogitare, quòd aqua illa verè gratià non sit naturalis, sed quod dæmon supponit artificialem, nec constet de fide, dæmonem id non fecisse. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Quia licet nolens credere Parochus puerum à se baptizatum esse justificatum, non foret hæreticus, saltem committeret peccatum infidelitatis. Quod si committit peccatum infidelitatis, apparet quòd illi non crederet, foret infidelis, adeòque illam particularem esse de fide. Illud de aqua non tenet: quia non adfert prudentem formidinem: sicut quando audita est vox de cælo: Hic est Filius, ut inquit ipse Lugo, potuissent Apostoli formidare: Anibi non sit alius qui ab ipsis non videretur, sed tantum à Moyse & Elia. Item an dæmonis ope voces illæ formate non fuerint: quæ tamen omnia non oberant, ne tunc elicerent actum fidei Apostoli: eò quòd non possent habere formidinem prudentem, quam nec in dicto casu habet Parochus. *Hinc*

RESPONDERI potest argumento Negando Consequentiam. Ratio quia totum à partibus simul sumptis collectivè non potest præscindere. Hinc uno revelato & aliud revelatur; universale autem præscindit à particularibus. Rursus in particulari sunt duo: unum, Natura; & aliud, hæcitas. Licet ergo revelato Universaliter reveletur natura, non tamen revelatur hæcitas, seu particularitas utpote non contenta formaliter in Universaliter. Quod si non revelatur hæcitas, non erunt particularia de fide; nihil autem simile reperitur in casu Antecedentis.

SECUNDUM ARGUMENTUM est, quo utitur Lugo, & supponit aliud esse aliquid in se de fide, & aliud nobis: Supponit rursum, easdem voces non eodem modo significare omnibus, mentem loquentem.

loquentis, tunc sic arguit. Certum est Deum revelantem omnes parvulos ritè baptisandos fore justificandos, non cognovisse confusè parvulos illos, sed distinctè & hunc & illum: homo tamen audiens illam vocem DEI de justificatione parvulorum, non cognoscit eos nisi confusè, & ideo nec cognoscit distinctè mentem DEI. Unde si homo haberet aliunde scientiam infusam de omnibus & singulis parvulis ritè baptisandis, audiens postea à DEO, tales fore justificandos, distinctè cognosceret de quibus loqueretur DEUS, & per Consequens crederet fide Divinà. Ergò cum de Ly Rite constet baptisanti, justificatio baptisati, erit illi de fide.

RESPONDERI potest. Quamvis DEUS non præcindat formaliter ut dictum alibi, præscindit tamen virtualiter, consequenter apprehendit etiam rationes communes, non formaliter sed virtualiter; ita verbi gratià dicendo, uno eodemque actu: Petrus est homo, Paulus est homo, & sic in infinitum, de aliis individuis possibili- bus, quæ omnia individua conveniunt in hoc, quòd sint animal rationale, ita tamen id dicit, ut præcindat virtualiter, rationem communem hominis, à particulatibus. Sic etiam in præfenti dicit Deus: Petrus baptisatus justificatur, Paulus baptisatus justificatur; & omnis ritè baptisatus justificabitur, cum hoc tamen stat, ut possit præscindere virtualiter, rationem ut sic baptisati. Supposito ergò quòd Deus potuerit virtuali quadam Universalis fabricatione, habere cognitam hanc propositionem: Omnis ritè baptisatus justificabitur, cum etiam quòd de facto habuerit talem actum importet suppositio questionis, quæ inquit: An universaliter revelatum, possit in particulari credi fide Divinà; insuper luadet ratio, quia si nihil obstat, supponendum est relaxasse in mente Divina rem revelatam, eo modò, quo, illam expressit nobis revelatione passivà. Cum ergò revelatione passivà hanc Universalem Baptisatus justificabitur expresserit, danda erit Deo illius Universalis proportionata cognitio, ne dicatur dixisse id quòd non cognovit. Ergò restabit querere de hac formalitate: An ex vi illius universalis revelati, sequatur, Particularia revelari ex mente etiam divinà, & cadere sub fidem; non videtur autem quomodo revelentur in Universalis, cum universale à particularibus præcindat. Categorice ergò ad argumentum dici potest, quòd DEUS non cognoverit confusè baptisandos, sed distinctè, ita tamen ut virtualiter præciderit rationem communem baptisati & hanc solam revelavit dicendo: Ritè baptisatus justificatur, & quia rationes communes præscindunt à particularibus revelatà illà Universalis poterunt non revelari particularia, consequenter nec esse de fide.

TERTIUM ARGUMENTUM est, quo utitur Ripalda citatus num. 32. Veritas singularis non

solum à Deo cognoscitur distinctè, sed etiam hominibus manifestatur: nam cum manifestatur aliquod prædicatum convenire specifico sive generico subiecto & simul manifestatur subiectum singulare sub ea specie, aut genere contineri, manifestatum relinquitur ei singulari subiecto tale prædicatum convenire.

RESPONDETUR. Concedendo, quòd veritas singularis à Deo distinctè cognoscatur. Nego tamen eam in Universalis cognosci: quia per nos universale præcindit à singularibus. Negatur item, quòd manifestatio universalis, manifestetur subiectum singulare, hocque probati debuisse.

Pro parte Negativa.

PRIMUM ARGUMENTUM est. Quia non potest credi hunc ritè baptisatum justificatum esse, nisi per discursum, ita ut assumatur hæc Major: Omnis ritè baptisatus justificabitur; poneturque Minor. Hic est ritè baptisatus. Ubi autem locutus est DEUS, quòd hic, sit ritè baptisatus.

RESPONDERI potest. Non posse credi hunc ritè baptisatum esse, nisi per discursum virtuale. Sed Nego ex alijs dicendis, ipsum, officere fidei Divinæ. Quando autem in discursu illo virtuali assumitur illa propositio: Sed hic est ritè baptisatus; non assumitur tanquam evidens naturaliter præcisè: sed assumitur ut revelata à Deo: quia scilicet evidentià illa, quæ habetur de aqua naturali, & de alijs adhibitis in baptismo, cum hoc particulari, ostendit esse connexionem Revelationem Divinam, eamque applicat, ut faciunt etiam motiva credibilitatis. Unde ulterius erit illa Minor de fide, non prout evidens, sed prout contenta in universalis, quam continentiam ostendit & applicat prædicta evidentià.

SECUNDUM ARGUMENTUM est. Quia si revelatio universalis etiam particularia sunt de fide, debet constare hanc Particularem, contentam esse sub illa universalis, cum dentur baptisati, & tamen non ritè. De qua ipsa continentia vel debet constare per evidentià physicam, vel moralem. Si per physicam. Ergo Concilium Tridentinum fuisse legitime congregatum non erit de fide: quia nos sequentes, non habemus de hoc evidentià physicam. Non etiam sufficit evidentià moralis; quia alias non solum baptisanti, sed etiam nobis alijs, poterit esse de fide, hunc baptisatum justificatum esse, eo quòd habeamus moralem evidentià, hunc Sacerdotem probum, non voluisse proferre verba, sine intentione. Hinc si hanc certitudinem moralem non haberemus, deberemus illum rebaptizare. Habemus item moralem certitudinem de consecratione hostiæ: quia alias illam adorare non possemus. De susceptione item Presbyterii quia alijs curaretur reordinatio, & ta-

meti

men hæc omnia, non sunt de fide. Ergo non sufficit evidentia moralis.

RESPONDETUR. Evidentiam in præfenti proportionari & assimilari evidentia, & luminoso oculari: sicut ergo in lumine, potest esse unum minus alio, sic etiam in evidentia intellectuali, potest esse una, minor alia. Et sic principia dicuntur esse evidentiora præ Conclusionibus. Et quod dicitur de evidentia intellectuali ut sic; idem dici potest de specie evidentia intellectualis, hoc est evidentia morali; quæ etiam potest esse major & minor. Et sic dicente mihi Petro de cuius veracitate mihi constat moraliter, ita se habere historiam, habeo de historia evidentiam moralem, quam tamen superat evidentia moralis quam habeo, quod plures sint in Urbibus à me non visis binoculi, monoculis, & quod Roma sit. Positâ autem majori & minori evidentia morali, illa fidei subvenire debet, quæ non tantum auferat omne dubium, sed & omnem prudentem formidinem. Cujus ratio est: quia assensui certissimo fidei, hæc non nisi proportionatur ratio applicans, hoc vel illud, contineri in revelato, hoc vel illud dictum esse à Deo. Quia ergo in nobis qui non baptisavimus, Item de consecratione hostiæ, vel Legitima ordinatione, non habetur evidentia expellens omnem prudentem formidinem; sed non nisi dubium, sit ut hæc nobis, non sint articulus fidei. Quæ evidentia excludens omne dubium, sed non excludens omnem prudentem formidinem est quidem non serviens imperando actui fidei; sufficit tamen ut verbi gratiâ adoretur Eucharistia non sub conditione, ut non iteretur baptisimus, ut non fiat reordinatio. Cujus ratio est: quia evidentia, quæ est requisita ad non adorandum sub conditione, ad non reiterando Sacramenta, est non nisi ut prudentia supernaturalis oppositum dictare non possit, vel suspendere imperium absoluti actus. Jam autem ad hoc, ut supernaturalis prudentia operetur, non est necesse semper excludi omnem formidinem, sed sufficit excludi dubium: nam etiam prudentia naturalis, potest ad hoc solum attendere. Jam autem prudentia naturalis & supernaturalis motivis non differunt. Certè autem prudentia naturali acceptatur missus legatus à Principe verbi gratiâ, quando non deprehenditur prudenter positivè subesse literis falsum; ita & in præfenti poterit sese exercere prudentia supernaturalis præsertim cum adoratio, non debeat esse actus ex objecto certissimus. Dixi autem ad fidem requiri amotionem omnis prudentis formidinis: quia non est necesse, ut etiam imprudens amoveatur: quia imprudentem formidinem etiam interdum principia lumine naturæ nota non excludunt; prudens est in nobis formido, quod forte baptisans non fecerit intentionem, sed non habemus fundamentum dubitandi rationemq:

ipsi autem baptisanti, nulla potest esse formido de ea, quam in se experitur intentione.

TERTIUM ARGUMENTUM est. Quia si revelatio in Universalis foret de fide, plurimi forent articuli fidei.

RESPONDETUR. Quod non: quia de Minibus multis, non habetur evidentia excludens omnem prudentem formidinem.

His pro utraque parte præfatis.

PRÆMITTO PRIMÒ. *Universale dupliciter accipi posse. Primò physicè pro ipsa particularium collectione. Secundò accipi potest Metaphysicè, seu pro ratione communi omnibus particularibus. Quia verò admittimus præcisiones objectivas, consequenter dicitur, quod in illa ratione communi, non sint ullæ differentie particularium. Ulteriusque in Logicis dicebatur veritatem universalis Metaphysici, esse unitatem objectivam & non formalem tantum: quia non tantum à conceptu meo denominatur universale unum, sed ipsum etiam objectum illius conceptus, pro statu intentionali est unum: quia in illo, pro statu intentionali, nullæ latent differentia, quæ pallientur à nostro intellectu non absimili modo, quo injustitias nostras docent hæretici latere in nobis, & vestiri palliique justitiâ Christi.*

PRÆMITTO SECUNDÒ. *Formare in nobis Deum conceptum Universalis physicè spectati. Ratio quia aliàs non esset omniscius.*

PRÆMITTO TERTIÒ. *Quod Deus possit formare conceptum, etiam Universalis Metaphysici, non formaliter quidem sed æquivalenter. Ratio. Tum quia ut dictum aliàs potest præcindere æquivalenter. Tum quia aliàs enuntiando nobis propositiones quæ de se indicant universale Metaphysicum, nesciret, quid diceret. Tum quia nullum est in hoc absurdum, modò ut dixi, præcisio non sit formalis: præcisio enim formalis multipliciter actuum, in adæquationem noscendi &c. importat, quæ omnia imperfecta sunt. His præmissis.*

ASSERO PRIMÒ. *Particulare revelatum in Universalis physicè accepto, est objectum fidei Divina.*

RATIO, quia universale physicè acceptum, est revera illa ipsa particularia, complectiturque singula divisim, nec physicè acceptum præcindere potest ab illis particularibus. Sicut quinque non præcindit à quinque unitatibus. Ergo si Universale illud est revelatum, etiam particularia illa erunt revelata, atque adeò objectum fidei Divina.

ASSERO SECUNDÒ. *Revelatio in Universalis physicè accepto, est potius revelatio particularis, singula particularia, in particulari efficiens.*

RATIO. Quia dicta revelatio, non attingit rationem aliquam communem, sed non nisi particularia: cum tamen revelatio Universalis, debeat attingere rationem communem, à qua tanquam objecto, denominetur universalis. Appella-

R. P.
THE MLOI
zia nowsk
Tom de Z
D. VI

Appellari tamen potest aliquomodo universale: quia scilicet non uni competit; ad eum modum, quo dicuntur bona in communi, non quod alicui rationi communi abstractæ à particularibus debeantur, sed quod non sint unipersonæ appropriata.

ASSERO TERTIO. *Deus revelans aliquod universale Metaphysicè acceptum non revelat particularia quæ talia.*

RATIO, quia DEUS revelando universale, revelat nonnisi id, quod dicit universale; sicut revelando hominem, revelat id quod dicit homo: aliàs non revelaret universale, sed revelaret non universale, revelando scilicet id, quod non dicit universale. Sed universale Metaphysicè spectatum, non dicit particularia, utpote à quibus præcindit. Ergo illa non revelat DEUS tunc.

ASSERO QUARTO. *Deus revelando universale Metaphysicè acceptum, revelat rationem communem particularibus.* Supponit assertam diversam hanc esse propositionem. Universale dicit particularia quæ talia, & universale importat rationem communem particularibus. Prior propositio sensum hunc habet, quod particularia includantur in universali, quod falsum per nos. Imò dictum in Logicis inclusionem particularium, esse destructivam universalis, quia est destructiva unius apti inesse pluribus. Secunda autem propositio hunc sensum habet, quod universale dicat aliquod prædicatum, quod & inesse pluribus & de illis prædicari possit, quæ propositio est vera. *Hoc posito*

RATIO asserti est. Si DEUS revelando universale Metaphysicè acceptum, non revelat rationem communem particularibus, & revelaret universale ut supponitur, & non revelaret, quia universale Metaphysicè acceptum, est essentialiter ratio communis particularibus, quam tu negas revelari.

ASSERO QUINTO. *Deum revelando aliquid in Universali, revelare & Physicè & Metaphysicè sumptum Universale.* Revelat physicè sumptum, quia distinctè cognoscit particularia, & interrogatus Deus de aliquo particulari, an sciret illud, ex vi illius revelationis? non diceret: Nescio. Ergo apparet, quod illam particularem cognoverit; & quia non aliud revelat & aliud cognoscit, etiam illa particularia revelabit licet in communi. Quod autem revelet tunc etiam universale Metaphysicè acceptum. Ratio: quia revera revelat aliquid commune pluribus, & de illis prædicabile; hoc autem est universale Metaphysicum. Imò si non revelaret universale Metaphysicum, virtualiter à se factum, diceret aliquid, quod non sciret, ut innuimus supra.

ADDO quando constat fide, quod homo hic sit legitimè baptizatus, attendi maxime ad revelationem universalis physicè sumpti:

quia hoc solum potest formalizare ut illa propositio sit de fide, quia vi universalis Metaphysici, non importatur hic in individuo homo, & tamen articulus fidei procedit de hoc in individuo homine. Ceterum qui diceret revelationem de justificandis verbi gratià ritè baptizatis, processisse secundum illam nonnisi virtuales præcisionem, ægrè convinci posset, quod revelato universali, revelentur particularia.

DIFFICULTAS III.

An Revelata Radice sit de Fide Passio?

EUndem titulum sic alii proponunt. An revelatio virtualis sufficiat ad fidem; hoc est: An revelato, quod Christus sit homo, sit de fide quod sit risibilis.

Punctum Difficultatis 1.

Proponuntur Argumenta Partis Affirmantis.

PRIMUM ARGUMENTUM est. Si cum DEUS revelaret Christum esse hominem, revelavit hoc ipso risibilem, potest revelatio virtualis sufficere ad objectum formale fidei. Sed DEUS revelando Christum esse hominem hoc ipso revelavit Christum esse risibilem. Ergo. Minor probatur. DEUS revelando Christum esse hominem revelavit secundum cognitionem, quam habebat de Christo homine, non quatenus est virtualiter humanitas Christi à risibilitate illius præcindibilis, sed potius secundum cognitionem expressivam humanitatis Christi, ut est Christus in se realiter: Oppositi enim docent istas præcisiones non dari in DEO, & posito quod DEUS præcindat unam rationem ab alia identificata realiter, tribueretur illi cognitio, nonnisi imperfectis cognoscitivis debita.

RESPONDETUR. Duplici modo præcisiva cognitio fieri potest. Primo præcisione formali, quæ fit per plures actus, & excludit in eodem actu, etiam attingentiam distinctam particularium. Secundo potest poni præcisio virtualis, quæ id faciat, quod facerent plures actus inadæquatè attingentes, & secundum quam, ita attingatur una formalitas, ut simul etiam attingatur identitas illius realis, cum alia formalitate. Quamvis ergo in DEO, non ponantur à nobis præcisivæ formaliter cognitiones, ponuntur tamen præcisivæ virtualiter. Quod si illa ponantur, sicut, si DEUS præcisivè formaliter cognosceret, posset revelare formaliter humanitatem, non revelando risibilitatem; cum cognoscat præcisivè virtualiter, cur secundum illam præcisivam virtualiter cognitionem, non poterit revelare formaliter humanitatem, non revelando formaliter risibilitatem? *Neque valet* quod ulterius dicit, proprietates, nullà vi à sua radice separabiles, & cum eadem convertibiles, non

(g)

posse

posse etiam à nostro intellectu præscindi objectivè, utpote non habente fundamentum distinctionis ratiocinata; jam autem præcisiones fundatæ in distinctione ratiocinante, non sunt sufficientes; nam hæc distinctio etiam inter definitionem & definitum reperitur; & tamen revelato definito, revelatur per nos definitio. *Non inquam valet* quia per nos etiam præcisione objectivâ præscinditur risibilitas, distinguiturque per hoc, quod ratio communis rationalitatis, ejusque definitio, non sit definitio risibilitatis, quod per nos, est unicum fundamentum præcisionum objectivarum. Voca illud si vis fundamentum distinctionis rationis ratiocinata; vel ratiocinantis majoris.

INSTAT PRIMÒ. Omnis illa propositio est ad fidem pertinens, quæ est à Deo revelata. Sed quælibet propositio connexa cum revelata, cujus connexio per naturalem discursum evidenter inferri potest, est à Deo revelata; quod ipsum probatur. Omnis illa propositio à Deo revelata est, quam Ecclesia ut revelatam & fide Divinâ credendam definire potest. Atqui omnem talem de qua loquimur definire potest, quod probat inductio, cum similes propositiones ortâ lite sint ab Ecclesia definitæ. Et certe vel potest definire Ecclesia hanc propositionem: Christus est risibilis vel non potest. Si potest. Ergo cum illi de novo non fiat revelatio, supponitur dicta propositio esse revelata. Si autem non potest definiri. Cur non?

RESPONDET Molina & Coninck disp. 9. dubit. 9. Quod propositionem quæ est deducta ex naturali evidenti, & alia revelata, non possit definire Ecclesia tanquam articulum fidei, sed semper stabit nonnisi intra terminos certitudinis Conclusionis Theologicæ. Quando autem obijciatur quod in professione fidei, inter alia profitens dicere debeat, quod indubitanter recipiat tradita definita & declarata à Synodis. *Ly definita*, accipiendum est conformiter ut *Ly declarata*, quæ declaratio supponit in ante fuisse revelatam rem, & per traditionem Patrum ad nostram devenisse. Posset etiam dici id quod in simili respondit Granadus: esse hoc impossibile, adeoque & posse definire Ecclesiam propositionem nonnisi virtualiter revelatam: quia quidquid definit Ecclesia, est nonnisi revelatum; nec posset, quia risibilitas non est revelata, sed tantum radix illius. Denique dici posset, esse definibilem risibilitatem Christi, beneficio revelationis non virtualis, sed beneficio revelationis latentis in traditione & doctrina Patrum, licet ante definitionem Ecclesiæ, nobis latens illa doctrina, non ita constet, de quo infra.

INSTAT SECUNDÒ. Revelatio confusa sufficit ad formalisandum objectum fidei. Ergo & virtualis. Nam utraque est infallibilis, utraque obscura, & cum proprietates Metaphysicæ,

nullo modo sint separabiles à sua radice, non est ratio, quod revelatio formaliter solam radicem, & non passionem. Et certe ponamus Sacerdotem aliquem qui audiat aliquam confessionem proferat hanc unam propositionem: *primus meus penitens quem audivi fuisse homicidam* & postea subjungat: *iste homo fuit meus penitens primus*; talis Sacerdos omnium iudicetur sufficiens revelasse confessionem penitentis; quamvis non dixerit explicite hunc hominem se accusasse de homicidio, quod prodit, nonnisi propter connexionem earum duarum propositionum, ex quibus evidenter inferitur illa tertia. Ergo etiam in prædicto idem dicendum.

RESPONDETUR. Disparitatem esse quæ in revelatione confusa; resolvetur semper assensus in solum testimonium DEI, quod ipsum & solum, etiam in principiis arguentis, debet esse objectum fidei. Jam autem in revelatione virtuali, non potest resolvi assensus, nisi simul resolvetur in aliquam propositionem evidentem naturalem, quæ non probatur esse revelata, consequenter non erit ille assensus dei, utpote non habens motivum adequatum fidei. Rursus si nomine revelationis confusa, veniat revelatio definitionis in definito, disparitas est, quia illa duo inter se non præscinduntur præscindit autem saltem homo à risibilitate, licet negaret quis, præscindere risibilitatem ab homine. Illud exemplum de Sacerdote non tener: quia quantumvis illa revelatio Sacerdotis involveret aliquid, quod non dicit Sacerdos, nullum absurdum sequeretur, si assensus alteri propositionis, non in solum dictum illius resolveretur. Absurdum autem est, si in fide Divina, resolvetur assensus in aliquid, quod DEUS non dixit. Rursus illa propositio: *Qui mihi primus confessus est fuit homicida*, continet confusam revelationem hujus alijs propositionis *Hic est homicida*. Cujus ratio est: quia prædicta illa, habet suppositionem determinatam, & nonnisi de hoc subiecto verificabilem, cum simpliciter per descensum, nonnisi de hoc uno verificari possit. Jam autem revelatio de natura humana, bene verificari potest de ipsa nonnisi natura humana, & non de risibili, attendendoque ad suppositionem determinatam, non posset dari præcisio objecti dictæ propositionis, ab objecto, quod est: *Homicida hic*; præscindit autem rationalitas à risibilitate. Rursus ut ex dicta propositione formetur expolitiorius, non debet accipi pro particulari illa propositio, sed pro singulari, si accipietur pro singulari, deberet habere sensum quasi universalem æquivalentem huic propositioni. Nullus est alius, qui mihi primus confessus sit nisi homicida, in qua æquivalenti universali, continetur hoc individuum. Erit ergo illa revelatio universalis æquivalenter, adeoque sufficiens ad fidem

R. P.
THE MLOI
zianowski
Tbm. de. Z
D. VI

ad fidem; æquè autem se non habere revelationem virtuales ac universales, Tu non probas. Non negamus quidem discursum deservire ut proficiatur in actum fidei, sed tunc cum aliàs supponitur objectum esse revelatum, & discursus est non nisi indagativum quid revelationis, non autem tunc, quando discursus pro ratione motiva assumi debet, ut hic fit, cum dicitur esse revelata risibilitas, revelatò esse hominis.

INSTAT Tertiò. Quando ex vi revelationis: Quia Christus est homo, fit assensus quòd sit admirativus, ille assensus est Theologicus, nec obstat ut ex eodem motivo revelationis attingatur admirativum & risibile, quamvis non nisi mediante admirativo, cadat revelatio supra risibile. Ergò etiam non obstat, quominus idem habitus fidei attingat Christum hominem & Christum admirativum, quamvis revelatio Divina, immediatè afficiat Christum hominem.

RESPONDETUR. Disparitatem esse; quia habitus Theologiæ assentiendo Christum esse risibilem, quamvis per prius revelatio virtualis conveniat admirativitati, adhuc habet formale suum, quod intendit ex articulis, scilicet ex revelatis scientificè procedendo. Et quia non attendit ad revelationem solam: & si semel possit non soli illi attendere, poterit & aliàs. Jam autem fides attendit non nisi soli revelationi, non attenderet autem soli, si inniteretur virtuali revelationi, involventi aliam non nisi certam naturaliter Propositionem.

SECUNDUM ARGUMENTUM est Amici. De facto multæ sunt Veritates ab Ecclesia definitæ, spectantes ad objectum fidei Divinæ, quæ tantum virtualiter contrinebantur in revelatis expressè, & ita contra Monotelitas definitum est, quòd in Christo sint duæ Voluntates.

RESPONDETUR. Definita talia esse ab Ecclesia, non beneficio virtualis revelationis, tantum motivi credendi, sed beneficio traditionis Ecclesiasticæ; & doctrinæ antecedentium Patrum, in quibus repertum est, quamvis non voce, sensu tamen, jam præcessisse moti-vum revelationis factæ, licet fortè non ita clare nec quoad omnes; reperiendo etiam id ipsum suo modo in Scriptura: quamvis hujus revelationis ante propositionem Ecclesiæ, & in quam propositione aliquid contineatur definendum postea, scire non possumus, sed disceremus ab Ecclesia, cui in talibus assistit Spiritus Sanctus. Quod attinet ad duplicem voluntatem, illius fundamentum habetur in Scriptura: Non mea sed tua Voluntas fiat. Hoc autem quod est aliam Patris esse, & aliam Filii voluntatem, cum non possit sumi pro Voluntate Divina, hæc enim utrique communis, debet sumi pro Voluntate humana.

TERTIUM ARGUMENTUM est ejusdem. Quidquid est evidenter credibile quòd sit à

DEO revelatum, pertinet ad objectum fidei Divinæ. Sed est evidenter credibile, quòd veritas virtualis inclusa in veritate formali, sit à DEO revelata. Discursus enim naturalis evidenter ostendit, in re expressè revelata, inesse suas proprietates naturales.

RESPONDETUR. Ad hoc ut aliquid pertineat ad objectum fidei, non tantum est necesse ut sit evidenter credibile, sed etiam ut sit ex objecto revelatum. Negatur autem, ex objecto, passionem esse revelatam. Rursus alia est hæc propositio: An discursus ostendat in natura expressè revelata, contineri illius proprietates quoad esse physicum. Et alia est hæc propositio, quòd discursus noster, ostendat evidenter credibile, quòd virtualis revelatio, seu passionum inclusarum in natura, sit sufficiens ad fidem. Primum concedetur. Secundum negabitur: in quo tamen est præsens difficultas.

QUARTUM ARGUMENTUM ejusdem. DEUS quando revelat aliquam rem, revelat illam juxta naturam. Ergò revelat illam secundum omnes proprietates, quas re ipsa naturaliter continet: finis enim revelationis est, tradere notitiam, rei quæ revelatur.

RESPONDETUR præter dicta. DEUM quando revelat revelare rem juxta suam naturam, hoc est non contra, quàm res sit. Neque enim potest revelare esse nigrum quod est album, non revelat tamen rem juxta suam naturam, hoc est secundum omnes adæquatè perfectiones; cum etiam in patria, possit seipsum non ita revelare.

IDEM ARGUMENTUM sic proponitur. Id quod sequitur per se revelationem sequitur ad fidem; risibilitas per se sequitur revelationem, cum sequatur humanitatem revelatam. Ad quod dici potest, quod sequitur per se & immediatè revelationem ex vi revelationis, est de fide, non autem quod sequitur revelationem mediatè, & ex vi connexionis entitativæ cum esse revelato; attendit autem fides ad revelationem, non ad esse.

INSTAT idem. Ad aliquid sufficienter proponendum, quòd sit à DEO revelatum sufficit moralis evidentia. Ergò à fortiori physica, per naturalem discursum manifestata. Deinde si semel concedatur ut debet, quòd Deus intendat revelare etiam passiones, debuisset simul providere de modo, quo hujusmodi rationes sufficienter proponantur credenti, qui alius non est, nisi discursus.

RESPONDETUR. Sufficere evidentiam physicam, si aliunde supponi possit objectum esse revelatum, esseque non solum connexionem entitativam, sed etiam revelationis. Negatur item, DEUM intendere revelare virtualiter, con-

(g) & sequenter

sequenter nec debuit providere modum applicandæ hujus revelationis.

QUINTUM ARGUMENTUM est. Si revelatio virtualis non esset sufficiens ad fidem, posset Catholicus admittæ hac propositione: Christus est homo; admittere hanc alteram ut veram: Christus non est homo; quia non hoc ipso, quia revelatur aliqua propositio ut vera expressè, revelatur, quod contradictoria illius sit falsa.

RESPONDETUR. Duplex via iniri potest, secundum quam Catholicus non potest assentiri huic propositioni: Christus non est homo. *Primo* ex hoc principio, quia duo contradictoria non possunt esse simul vera, & hic assensus non erit fidei. *Secundo* potest non assentiri dictæ propositioni seu non admittere illam ut veram, quia non est revelatum Christum non esse hominem. Sicut enim assensus fidei formalisatur esse revelationis, ita dissensus, formalisatur, non esse revelationis. Unde non esse Christum hominem, nec admittitur ut verum dialecticum, nec admittitur ut verum de fide, quia hoc non est revelatum, & nihil est verum de fide, nisi revelatum. Quæ responsio ostendit cur non credatur; Christum non esse hominem. Qui autem veller ostendere, cur, idque ex fide, discrederetur huic propositioni: Christus non est homo, posset hoc teneri: quia non repugnat ut Deus præscindat æquivalenter hominem à risibilitate, adeoque reveler hominem esse Christum, non revelando risibilitatem; repugnatautem, ut affirmando hominem, non neget æquivalenter negationem hominis; cum nulla sit affirmatio, quæ sui oppositum æquivalenter non neget. Unde si affirmatur homo, æquivalenter negatur negatio hominis, hocque ostendit inductio, & resolvitur in hoc, quod esse omne, sit negatio suæ negationis: esse enim est quid positivum, & negatio negationis, est etiam quid positivum, adeoque affirmatio sequens esse, erit negatio æquivalenter suæ negationis. Quod si in omni affirmatione, est æquivalenter negatio negationis, etiam affirmatio quæ fit per revelationem, quod Christus sit homo, erit negatio negationis hominis, æquivalenterque in revelatione hominis, erit inclusa revelatio, de negatione negationis hominis. Hinc si discrederetur Christum non esse hominem, erit adhuc discreditio propter revelationem, licet ad illam indagandam, principia naturalia assumantur. Quia autem non hoc ipso, quia noscitur homo, vel quia assentimur esse hominem, æquivalenter noscitur risibilitas, cum hæc præscindi possint: sit ut assensus de risibilitate, non sit adhuc futurus vi revelationis de homine, adeoque nec de fide.

INSTARI solet primò. Negans Christum esse risibilem haberetur ut hæreticus. Ergo risibilitas spectat ad fidem.

RESPONDERI potest. Aliud esse an foret hæreticus, & aliud an præsumeretur hæreticus. Primum falsum est: quia ad hoc ut sit hæreticus, negare deberet propositionem de fide Catholicam. Negantur autem dictæ passionis esse de fide. Præsumeretur tamen esse hæreticus: quia præsumeretur de illo, quod nollet negare omnem hominem esse risibilem; consequenter ut neget Christum esse risibilem, præsumeretur negare, Christum esse hominem.

INSTARI solet secundò. Homo finitissimus est Chymæra. Ergo Catholicus credens Christum esse hominem, credit esse risibilem.

RESPONDETUR. Hominem pro esse physico sine risibili esse Chymæram, non tamen pro esse abstractionis vel formalis vel virtualis; secundum quam, potest procedere fides. Et licet ad infinitam veracitatem DEI spectet, ut sint etiam vera secundum esse physicum, et omnia, quæ revelatio dicitur; sed non spectat ad veracitatem Dei, ut sint vera veracitate fidei, quæ sunt connexa cum iis, quæ DEUS testificatur, siquidem in hac testificatione, potest se Deus habere præcisivè.

INSTARI solet tertio. Etiam objectum revelationis virtualis, ultimò resolvitur in veritatem solam: quia si credat aliquis Christum esse risibilem rationem reddit: quia homo est: Si autem quæratur ex credente, quare sit homo, rationem dabit: quia ita est revelatum.

RESPONDETUR. Præsens discursus sub aliquo formalitate, resolvitur mediâtè in auctoritatem Divinam, non tamen adæquatè. Quæro enim cur credas Christum esse risibilem? respondes quia est homo. Non quæro cur sit homo, sed quæram; Cur ex eo quia est risibilis, est homo? Ad quod quæsitum pertinens ad assensum illum fidei, responderi non potest per revelationem, sed per Metaphysicum principium: Omnis homo est risibilis. Quod si non resolvitur assensum illum in revelationem solam, non elicitur solum fidei actum.

Punctum Difficultatis 2.

Proponuntur Argumenta Negantium.

PRIMUM ARGUMENTUM est Suárez. Virtualis revelatio, nec in modo certificandi, nec in substantia est æqualis formali: quia formalis revelatio immediatè & per se certificatur virtualis non nisi in alio & mediâtè: non est etiam in substantia similis: quia non est ita certa.

RESPONDETUR. Quod revelatio moveat alio modò, non infertur, quod non moveat modo sufficiens ad fidem. Nam ipsum Ly Deus dixit immediatè movet ad sui assensum & propter se, cum tamen Incarnationem verbi grati non credamus propter se; & tamen utrumque est assensus fidei. Ergo ex diversitate præcisi movendi, non colligitur alterutrum non esse revelati-

revelatum. Negabunt item oppositi revelationem virtualement, non esse ita certam, ac est immediata.

SECUNDUM ARGUMENTUM est quo utitur Lugo. Non potest esse de fide id, quod non creditur, quia revelatum & testificatum est à Deo: sed objectum ejusmodi Conclusionis non dicitur à DEO sed aliud, ex quo hoc aliud inferitur. Ergo non potest hoc credi ex fide, cum non participet rationem formalem & motivum proprium fidei.

RESPONDERI posset. Non posse esse de fide quod non creditur, quia est revelatum vel formali vel virtuali revelatione: posse tamen esse creditum fide Divinâ, quod non est revelatum formali revelatione.

INSTAT primò Idem. Quantumcunque explicetur revelatio & objectum revelatum, nunquam invenietur dictum à Deo objectum Conclusionis; imò nec aliquid, quod solum possit movere ad illud credendum.

RESPONDETUR. Non invenietur quidem illud, ut dictum formaliter; invenietur tamen ut dictum virtualiter. Elicet non possit reperiri aliquid, quod solum, hoc est cum exclusione etiam rationis applicantis, possit movere ad assensum; inveniri tamen potest aliquid, quod solum, hoc est sine concursu alijs principijs tanquam motivi & resolutorij, possit movere intellectum. Ut ergo efficaciam haberet argumentum, probare debuisset illam secundam propositionem naturalem, habere rationem motivi, quod non probat. Quando autem addit Lugo, nisi crederetur verum esse illud aliud principium naturale, non crederetur objectum Conclusionis; dicent oppositi non credendum, sed non defectu motivi, sed defectu veritatis, quæ etiam conditioni applicanti revelationem, inesse debet. Quamvis autem Conclusio sequatur debiliorem partem, ad hoc salvandum sufficeret dicere: quia scilicet non superat certitudine utramque præmissam, licet superare possit præmissam unam. Alii dicunt, quod scilicet Conclusio ut deducta illativè debeat esse debilior præmissâ, non verò Conclusio ut revelata, qualis in præsentem supponitur, hoc est revelata virtualiter.

INSTARI potest secundò. Credere Christum esse risibilem propter connexionem quam habet risibilitas cum homine, non est credere propter DEI revelationem. Sed credere Christum esse risibilem, propter revelationem de Christo homine, est credere propter connexionem quam habet risibilitas cum homine: quia DEUS revelando Christum esse hominem, revelavit id, ad quod significandum impositus est terminus homo; non autem est impositus ad significandam risibilitatem, cum possimus vel ignorare, vel non advertere, quid sit risibile, sciendo & advertendo ad terminum homo.

RESPONDERI potest. Quòd credere non possimus Christum esse risibilem, propter connexionem quam habet risibilitas cum homine, licet possimus credere Christum esse risibilem, accipiendo illam connexionem, nonnisi tanquam conditionem applicativam revelationis virtualis. Nec obest quod interdum ignoretur passio, nam non raro ignoratur definitio, & tamen ubi de illa constiterit, erit de fide, revelato definito.

TERTIUM ARGUMENTUM est. Habitus Theologiæ ab habitu fidei diversus est, quæ diversitas ostendi non posset, si virtualis revelatio sufficeret ad fidem.

RESPONDETUR. Diversos hos habitus fore: quia habitus Theologiæ principia scientifica assumit tanquam propria, & tanquam motiva, quæ fides nonnisi pro applicantibus admittit.

QUARTUM ARGUMENTUM est. Si revelatio virtualis sufficit ad fidem, positâ revelatione de substantia aquæ, sub fidem caderet etiam illius frigus utpote passio: hoc autem dici non potest: quia aliàs si Deus revelaret alicubi aquam esse, illa aqua calefieri non posset, redderetur enim tunc revelatio illa falsa, revelans frigus, cum sit illic calor.

RESPONDERI posset. Negando sequentiam, ob negationem identitatis inter substantiam & passionem physicam; & tamen ad hanc identitatem in præsentem attenditur. Illud autem quod adfertur de revelatione frigoris non tenet: quia illa sic procedit; competit aquæ frigus si in connaturali statu existat, & quia non revelatur, quòd in, non connaturali statu, existere non possit, calefieri adhuc poterit.

QUINTUM ARGUMENTUM est. Sicut se habet habitus principiorum in scientiis naturalibus ad habitum Conclusionum; ita se habet habitus fidei ad Conclusiones fidei. Sed in scientiis naturalibus habitus principiorum, est specie distinctus, à scientiis naturalibus, seu habitibus Conclusionum deductarum ex præmissis. Ergo etiam habitus fidei, erit diversus ab habitu educente Conclusiones ex præmissis fidei.

RESPONDERI potest. Immeritò supponi si credatur virtualiter revelatum, credendum illud, tanquam Conclusionem deductam, innitentem uni præmissæ naturali tanquam motivo; cum discursus scientificus sit spectaturus ad fidem nonnisi per modum applicantis. Consequenter non credet quis Conclusionem ut deductam ex præmissis: quia nec illis quæ talibus innitentem, quod tamen supponit objectionem.

Punctum Difficultatis 3.

Afferta de Difficultate.

ASSERO Primò. *Casu quo crederetur revelatum virtualiter innitens præmissa naturali evidenti, præmissa illa non se haberet per modum applicantis, sed per modum motivi, consequenter non esset tunc assensus innitens soli revelationi, atque adeò nec assensus fidei.*

RATIO. Quia illa præmissa evidens naturalis, & non haberet rationem motivi ut supponitur: hoc ipso enim si haberet rationem motivi, assensus ille non inniteretur soli revelationi, atque adeò non esset de fide; haberet etiam rationem motivi; quia si quæretur. Cur credis Christum esse risibilem? respondebis, quia est homo: esse autem illum hominem revelavit DEUS. Quæro unde hoc sit, quòd quia est risibilis, est homo? huic quæstioni necessario debes adferre motivum & resolutorium, quod certè non aliud erit nisi illa universalis: Omnis homo est risibilis; illa ergò erit motivum, & tamen non est revelata. Ubi enim? Interrogatio autem illa quare homo sit risibilis, non est extra limites assensus illi conclusioni exhibenda, sed pertinet ad plenè exhibendum assensum.

RESPONDEBIS. Ex asserto sequi, quòd etiam motiva credibilitatis, non sint sola applicatio, sed motivum.

CONTRA est. Quia tota interrogationum series, quæ potest fieri de assensu fidei, stabit adhuc nonnisi in hoc: *Quia Deus dixit*, consequenter quæcunque alia, respectu assensus fidei, non habebunt rationem motivi. Jam autem tota interrogationum series, quæ potest fieri de assensu circa objectum virtuale, non potest absolvi, stando in sola revelatione. Cumque per nos motiva credibilitatis ipsum discursum fidei virtualem non ingrediantur, præmissa autem illa universalis ingreditur; sit ut præmissa illa debeat habere rationem motivi, & non motiva credibilitatis.

ASSERO Secundò. *Accipiendo risibilitatem secundum id, quod dicit in Recto risibilitas sic sumpta est objectum fidei.* Supponit Assertio, risibilitatem physicè quodammodo acceptam, habere hunc conceptum: quòd sit ipsa natura humana, prout est principium actuum ridendi.

RATIO est. Tum quia risibilitas in Recto, est ipsamet natura humana, sed ipsamet natura humana per se est objectum fidei. Ergò & risibilitas in recto sumpta. Tum quia si risibilitas Christi in Recto, non esset per se objectum fidei, Christum esse hominem, & esset de fide, ut supponitur, & non esset: quia risibilitas in Recto, est ipse homo, & tu dicis risibile in Recto, non esse per se objectum fidei. Tum quia tenet hic expostorius; hic homo est

revelatum hoc risibile, in Recto, est hic homo: non enim aliud intelligitur. Ergò hoc risibile in Recto, est revelatum.

ASSERO Tertiò. *Accipiendo risibilitatem secundum id quod dicit in obliquo, hoc est actus ridendi, non est objectum fidei Christum esse risibilem.*

RATIO, quia talis revelatio nullibi existit. Rursus quia revelato uno distincto realiter, non est necesse revelari aliud. Procedit autem assertum si reveletur risibilitas in Recto, sub nomine hominis: sic enim non erit necesse revelari ullò modò actus ridendi. Casu autem quo reveletur sub nomine principii actuum ridendi, quæ talis, sic erit necesse revelari actus ridendi. Ratio, quia & revelaretur tunc ut supponitur principium actuum ridendi sub nomine principii actuum ridendi, & non revelaretur: quia in revelato principio actuum ridendi, importatur actus ridendi, quos tu dicis nullò modò revelari. Et sicut si reveletur Pater sub nomine Petri, non erit necesse revelari de filio, quamvis sub nomine Patris, sit necesse revelari in obliquo filium. Ita & in presenti. Cæterum nullibi existit revelatio de risibilitate in recto, sub nomine principii actuum ridendi.

ASSERO Quartò. *Accipiendo risibilitatem ipsa forma Metaphysica, Metaphysicè jam constitutam talem formalitatem, potest Deus revelare.*

RATIO Prima Asserti est. Quia DEUS præscindit virtualiter ut supra posuimus. Ergò etiam potest præscindere risibilitatem ab humanitate: adeoque & talem revelare, quæ non erit merum figmentum: quia non est figmentum quòd definitio risibilitatis, non sit definitio rationalitatis.

RATIO Secunda. Vel risibilitas cum fundamento in re, præscindit à natura, vel sine. Si cum. Ergò cognitio DEI, quæ seclusis imperfectionibus secundum fundamenta & exigentias procedit, præscindere etiam poterit illam: adeoque & revelare. Si autem risibilitas cum fundamento in re non præscinderetur. Ergò se haberet sicut Chymæra. Ergò adhuc cadere poterit sub revelationem sicut & Chymæra.

RATIO Tertia. Nihil est denegandum DEO, quod non implicat contradictionem. Ergò & veritati illius in dicendo, nihil negandum est, quod non implicat ab illa dici. Sed non implicat ab illa dici aliquid de risibilitate Metaphysicè accepta. Ergò.

ASSERO Quintò. *De risibilitate Metaphysicè accepta, nihil de facto revelavit Deus.*

RATIO, quia vel revelasset formaliter; & hoc non ubi enim hoc revelatum? vel virtualiter. Sed in hac revelatione nihil revelatur de risibilitate Metaphysicè sumpta: quia jam revelatur revelato homine: revelari autem illam in se hominis, est revelari illam physicè sumptam, cum

R. P.
THE MLOI
ZIANOWSKI
Tom. I. et. 2
D. VI

eum tamen hic agatur de risibilitate Metaphysicè sumpta. *Ex his*

COLLIGES. Quod Conclusio deducta ex una præmissa de fide & alia evidenti naturali, si illa evidens, sit Minor, in universali revelata, erit adhuc Conclusio de fide: innitetur enim soli revelationi. Si autem alia evidens naturalis, sit nonnisi propositio Luminè naturæ notæ, non erit Conclusio de fide, quia jam innitetur alicui non revelato. Quodsi Conclusio deducta ex duabus de fide in seipsis revelatis, erit Conclusio de fide: quia adhuc soli revelationi innitetur. Et hoc Colligendum, in superioribus tractatum est.

DICES PRIMÒ. Inter modum assentiendi quo assentimur Conclusioni quæ Conclusio est, non experimur differentiam, atque cum assentimur illi Conclusioni assensu fidei. Ergo Conclusio, etiam ut Conclusio est, necessariò est de fide. Cuius oppositum supponit assertio prima.

RESPONDETUR. Cum assentimur Conclusioni quæ Conclusio est, fiteductio Conclusionis ex connexionè cum præmissis, tanquam innitente principio. *Quæ sunt eadem Vnterrio &c.* poniturque advertentia vel levis, bonitatis Consequentia, per quod constituitur assensus Conclusioni, ut Conclusio est. Quando autem fit assensus objecto Conclusionis, merè actu fidei, non attenditur ad prædicta, sed ad Ly: *Deus dixit.*

DICES SECUNDÒ. Objectum Conclusionis deductæ ex una revelata, & alia evidenti quæ tali, non est objectum fidei Divinæ. Ergo neque deductæ ex utraque de fide: quia si risibile pro radice acceptum, est idem realiter cum humanitate, & tamen id non sufficit ad fidem; non est ratio cur identitas objecti Conclusionis, cum objecto præmissarum, faciat objectum Conclusionis esse de fide.

RESPONDETUR. Pernostisibile pro radice acceptum seu in recto, est de fide. Paritas absolutè non tenet. Ratio quia in casu antecedentis, ad assentiendum, non assumitur solum testimonium Divinum, sed etiam præmissa quæ talis evidens. Objectum autem Conclusioni deductæ ex duabus de fide, semper innititur soli revelationi.

DICES TERTIÒ cum Hurtado. Per nos neque assensus circa objectum revelatum poterit esse fidei: quia etiam assensus circa objectum revelatum fit propter præmissas saltem virtuales. Ergo etiam illic intercedere debet virtualis cognitio bonitatis Consequentia, quæ tamen non est revelata.

RESPONDETUR. Duplex resolutio, assensus præbiri Conclusioni, circa objectum revelatum in Conclusionem positum, fieri potest. *Primò* resolvendo bonitatem illationis assensumque in principia: *Quæ sunt eadem Vnterrio, vel in dictum De omni.* Hæc resolutio destruit ratio-

nem fidei: quia assumit principium non revelatum. *Secundò* potest resolvi bonitas illationis in assensu fidei, non secundum quod illatio est; sed merè materialiter, assumendo pro illius resolutorio, nonnisi revelationem, nec ullò modo attendendo ad formalitatem illationis, sed merè ad Ly: *Deus dixit:* & hoc non obest fidei, imò illam formalisat. Repetatur hic supra factus Syllogismus quem conficit Fidelis. Objectio autem Hurtadi supponit, quod in assensu fidei, intercedat assensus bonitatis illationis, priori modò spectatæ.

DICES QUARTÒ cum Ripalda disp. 8. num. 45. Christus non solum creditur per fidem & revelatur esse homo sensu Metaphysico; sed etiam sensu Naturali & physico, in quantum complectitur hominis propria, iuxta leges physicas & naturales. At humanitas revelata sensu naturali & physico, complectitur naturaliter, & non solum virtualiter proprietates naturales, quarum una est, potentia risiva.

RESPONDETUR. Per nos physicè sumpta risibilitas, est risibilitas sumpta in recto, adeoque est de fide; posito autem quod potentia risiva esset distincta realiter à natura humana, esset de fide risibilitas, sed non beneficio virtualis revelationis, sed universalis: quia scilicet in illa propositione, *Verbum totum hominem assumpsit;* & in illa: *Verbum habet omnes perfectiones quæ non derogant dignitati suppositi,* continetur etiam tanquam particulare, potentia risiva.

INSTAT Idem. Possum credere fide humana, objectum notum ex testimonio humano, & argumento naturalis rationis. Ergo etiam possum credere fide Divinâ, objectum notum ex testimonio Divino, & argumento naturali.

RESPONDETUR. Etiam in casu Antecedentis, in quantum ex vi argumenti naturalis, non erit actus fidei humanæ.

DICES QUINTÒ. Magis adequatur radici suæ proprietas verbi gratia risibilitas rationalitatis utpote & ad convertentiam & in abstracto prædicabilis, quam particulare universali. Ergo si revelato universali particulare revelatur, revelatâ radice revelabitur passio.

RESPONDETUR. An aliquid uno revelato reveletur, non est pensandum ex adæquatione, sed ex impossibilitate præscindendi. Jam autem physicè spectatum & revelatum universale, est hoc, & illud, & illud individuum, quod certè à seipso præscindere non potest. Jam autem potest præscindi saltem rationale à risibili, adeoque sine illo revelari. Ex dictis etiam colligitur, quod si res sit de risibilitate in recto, esse illam revelatam, licet non sit revelata secundum obliquum.

INSTAT PRIMÒ. Ex eodem habitu charitatis amamus Deum immediatè, alia autem propter Deum, seu mediante DEO. Ergo etiam poterimus credere ex eodem habitu fidei, non

solum immediatè, sed etiam mediatè revelatum.

RESPONDETUR. Mediante DEO amari alia, non aliud est: quàm amari propter Divinam bonitatem. Hinc actus charitatis procedens propter bonitatem Divinam, non extrahetur extra suam speciem. Si autem fides assentiretur propter propositionem non dictam à DEO, assentiretur non revelato, adeoque extraheretur extra suam speciem.

INSTAT Secundò. Ponamus, quòd Adamo DEUS nonnisi unum dogma revelare voluerit, verbi gratià: quòd sit à se, quæro: potuissetne Adam credere, DEUM esse æternum infinitum. Vel non. Si potuit. Ergò sufficit revelatio virtualis: nam hæ proprietates nonnisi virtualiter continentur. Si non potuit credere. Ergò neque DEI esse, ab Adamo credi potuit: quia nihil prius fide Divinà credi potest tanquam revelatum à Deo, nisi in ratione mediū seu morivi attingatur Autoritas Dei, quæ proximè fundatur in summa veracitate Dei, quæ tamen, virtualiter nonnisi includitur, in ipso esse Dei.

RESPONDETUR. Locutio definitivè, etiam Divina, est manifestatio conceptus alteri; huic manifestationi activæ, responder passiva, est quæ ipsa auditio. Quando ergò dicebat DEUS. Ego sum à me, videndum, cujus illa locutio manifestativa fuerit; & quid sibi manifestatum habuerit Adamus. Si enim præcisam & abstractissimam rationem in Deitate revelabat, in quantum scilicet dicit, negationem dependentiæ in esse ab alio, sic non potuisset fide Divinà etiam assentire illam credere: quia aliunde vi non nisi intellectus intulit, DEUM esse veracem, non tamen poterat dicere: Credo illum esse à se; quia dixit se veritatem primam, hoc enim non dixit; sed nonnisi illam rationem præcisam: consequenter ille actus, utpote non innitens Ly *Deus dixit* non erit fidei. Si autem dicendo DEUS suam Assentiam, manifestavit illi pro objecto Materiali assentiam, pro formali veritatem attestantem, potuisset tunc credere. Sed negò, quòd solum in radice revelaretur illi veritas prima. Et certè si Deus diceret: Ego sum à me, intelligendo præcisè quòd sit independens à causa inesse, potuisset dicere Adam; *posset quidem aliquis cogitare, quòd licet Deus sit à se, non sit veritas, quia est independens in iis, quæ illi necessario competunt; fortè autem illi non competit necessario veritas. Sed Ego vi mei intellectus, demonstro mihi, quòd sit verax, non possum tamen dicere Credo, quia est veritas: hoc enim non dixit mihi de se.* Vi hujus allati directè ad Argumentum, Respondetur, quòd in diversâ suppositione poterit credere quòd DEUS sit à se, in diversa non potuerit.

ADDO. Dici posse, quòd in illa propositione: Ego sum à me reveletur veracitas Divina

non virtuali revelatione sed confusa universalis: esset enim illa revelatio hujus sensus: Continuo in me omnes perfectiones, accedenteque intellectu, quòd etiam veracitas sit perfectio, creditur tunc ob revelationem universalem.

INSTAT Tertiò. Revelatio virtualis, est magis amica obscuritati, ostenditque subjectionem majorem primæ veritati, dum creditur etiam nonnisi connexion cum revelato.

RESPONDETUR. Revelatio virtualis, non est magis amica obscuritati, quia assumit pro commotivo aliquid Lumine naturæ notum; illa autem subjectio est nonnisi præterita: quia non soli Deo & ejus veracitati, sed & commotivonaturali exhibetur, quòd destruit subjectionem. Sicut non est subjectio æquè venerari famulos Regis, ac Regem.

Poni etiam solet instantia de Angelis, quòd scilicet præstet de ratione formali fidei, si nihil obstitit discutere, ut dicatur magis accommodata Creaturæ intellectuali etiam Angelis. Jam autem Angelus, habità specie, noscit Creatorem in Creatura, causam in effectu, consequenter rationabilitatem in risibilitate hinc accommodando se illorum modo intelligendi DEUS debet revelare etiam passionem in radice. Sed hæc ratio non tenet; quia etiam Angeli non semper causam ut causam agnoscunt, sed etiam causam, nonnisi materialiter, non noscitur effectus. Cur ergò etiam huic modo non potest se conformare Deus, adeoque non revelando passionem revelatà radice; dicique potest assumptam doctrinam, tunc esse veram: debere scilicet revelationem accommodare sese modo noscendi, quando nihil obest. Obest autem ut præcisè revelatio virtualis, sufficiat ad fidem.

COLLIGES exinde. Quòd passio formaliter non reveletur in radice, licet possit esse revelata in universalis aliquo, & hoc ipso esse de fide.

DIFFICULTAS IV.

Potesne deduci Conclusio de Fide, ex alia præmissa nonnisi probabilis?

DICENDUM est. Si nomine probabilis præmissa, venit præmissa cujus objectum non sit revelatum, non erit illa Conclusio de fide.

PROBATUR PRIMò. Ex non revelato non potest sequi revelatum, sequeretur autem, si prædictò modo sumpto probabili, foret Conclusio de fide. Major autem probatur; quia si ex non revelato posset sequi revelatum, sequeretur contradictorium unum, ex alio contradictorio, ex albo scilicet non album, ex Ente non Ens. Excettè ratio motiva ad aliquid debet dicere rationem nexûs, cum eo, ad quod mover: in hocque stat totum artificium Syllogismi procedentis, ex eo, quòd hæc sint: non habet autem hunc nexum, non revelatum cum revelato.

PROBA.

PROBATUR Secundò. Restitutione rationum, quas sibi in hac materia opposuit Quirós disp. 3. in prima parte.

PRIMA ratio. Conclusio sequitur debiliorem partem. Ergò Conclusio ex una probabili, solùm erit probabilis, etsi deducta Conclusio ex utraque probabili præmissa non est de fide, etiam deducta ex una probabili, non erit de fide propter idem principium: Conclusio sequitur debiliorem partem. Negaturque ulterius non obstat certitudini fidei, quòd motivum illius, sit nonnisi probabile.

SECUNDA ratio. Non potest oriri ex præmissa falsa Conclusio de fide. Ergò nec ex probabili. Quòd autem dicit Quirós num. 17. ubi præmissa est falsa, nec objectum præmissæ vel Conclusionis verum est. Idem hic applicatur. Ubi præmissa probabilis est, etiam objectum illius, erit nonnisi probabile, adeòque non fidei.

TERTIA ratio. Præmissa probabilis per oppositos est naturalis. Ergò in principiis illorum, non poterit sequi Conclusio supernaturalis. Sicut Amor supernaturalis non innititur cognitioni naturali. Et sicut exigentia per se, quam dicit amor supernaturalis ad cognitionem supernaturalem, est talis, ut ex accidenti etiam non sequatur amor supernaturalis ex cognitione naturali: ita idem in præsentì dicendum. Et sicut quamvis objectum actûs cognitionis naturalis, ab objecto cognitionis supernaturalis non differat formaliter, tamen hoc non obstante, non sequitur amor supernaturalis ex cognitione naturali. Ita idem in præsentì dicendum.

PROBATUR Tertiò. Si ex præmissa naturali & quidem probabili, sequitur Conclusio de fide, sequitur posse revelatum esse aliquid, utpote de fide etiam si non præcesserit revelatio, adeòque revelationi non inniti fidem; inniteretur enim probabili præmissæ, quæ supponitur non revelata.

DICENDUM Secundò. Si nomine probabilis præmissæ veniat præmissa, ex objecto revelata, sit tamen nonnisi probabilitas, quòd sit revelata non excludens scilicet formidinem prudentem, non erit ille assensus fidei.

PROBATUR. Quia deberet tunc imprudenter imperari actus certissimus, quòd fieri non potest ut dictum etiam supra.

DICENDUM Tertiò. Si nomine probabilis præmissæ veniat præmissa ex objecto revelata: sit autem hoc sensu probabilis: quia scilicet sine ulla formidine constet, quòd hoc Deus dixerit, non tamen hoc constat certò physice vel metaphysice, poterit tamen Conclusio esse de fide.

PROBATUR ex dictis supra: quia scilicet nihil deest, ut procedatur ad actum fidei, non deest objectum revelatum; nec iudicium prudens informans voluntatem, ut imperet actum certissimum; ut imperat habens motiva credibilitatis, expellentia prudentem formidinem. Ergò

benè tunc procedi poterit ad actum fidei; quamvis rigoroſè loquendo, non debeat dici hæc præmissa probabilis, sed certa moraliter.

OBJECIT Primò Quirós. Potest esse assensus supernaturalis quamvis objectum illius intrinsecum motivum, secundum se obscurum appareat. Ergò & quamvis appareat solùm probabiliter: certè enim propositio Parochi modum proponendi probabilem non excedit, cum eodem modo, quandoque proponat suas ignorantias, ut quòd in Eucharistia sit corpus Beatæ Virginis.

RESPONDETUR. Disparitatem esse; quia necdum erit Conclusio innitens non revelato, quamvis innitatur obscuro, non inniteretur autem revelato, si inniteretur probabili præmissæ, probabilitate de qua Assertò primo. Propositio ubi Parochi potest esse probabilis, cum non sit motivum fidei, sicut deberet esse dicta præmissa.

OBJECIT Secundò. Supernaturalitas actûs, non venit ex supernaturalitate motivi, nec ex modo quò apparet objectum formale, sed ex præcisa excellentia modi tendendi actûs, essentiali connexionem habentis cum reali existentia objecti. Sed excellentia & certitudo modi tendendi actûs, haberi potest, quantumvis objectum purè probabiliter proponatur, ut eum mysterium Trinitatis proponitur Catholico & Calvinistæ, iste credit fide naturali quæ probabilis est purè, ille supernaturali certissimè. Deinde quia actus talis, dirigitur Virtute superiori, benè autem stat actum directum per superiorem Virtutem, certissimè attingere, quòd proximè elicienti obscurum est; quemadmodum homo cæcus, rectè dirigit sagittam, directus ab alio scopum discernente. Ergò quamvis motivum præmissarum proponatur, solùm per actus naturales probabiles, inferre poterit supernaturalem Conclusionem, non quidem ex sola vi propria, sed tenente se, ex parte principii, aliquo auxilio superiori.

RESPONSUM. Quòd excellentia & certitudo actûs haberi possit, quamvis objectum probabiliter proponatur, si cæteroqui revelatum sit; secùs si non sit revelatum. Negatur item Calvinianum assensum de Trinitate, esse nonnisi assensum probabilem, quasi habeat motivum ex parte objecti probabile: respicit enim testimonium Dei verum ex objecto. Nec est ille assensus probabilis ex subiecto: habet enim firmam adhesionem. Sed est hoc sensu nonnisi probabilis, quia proficiscitur à principio naturali, quòd non est determinatum, ut assensum eliciat nonnisi certissimum. Superior autem virtus nempe ipse habitus, non confert certitudinem formaliter & objectivè, sed solùm effectivè, efficiendo scilicet actum qui certissimus est. Hic autem quaeritur de certitudine objectiva & formali, quam non apparet qui conferre possit

possit probabilis præmissa? præcipue cum nec ad actum talem procedere possit ipse habitus fidei, si non habet præmissam utramque revelatam. Illa directio quæ videns dirigit cæcum sagittantem, disparitatem habet; quia siue sagittans siue alius dirigat ictum, eadem erit ratio constituens formaliter in ratione bonæ iaculationis, recta scilicet tendentia in scopum; non est autem eadem ratio assensus constituti & formalisati motivo probabili seu non revelato, & motivo revelato.

Obijcit Tertiò. Obiectum motivum obscurum, assentienti non proponit per se plus, quam probabile; & tamen hoc contingit in omni actu fidei. Ergo cognitio supernaturalis, inniti potest motivo probabili. Antecedens probatur quia motivum illud, quod præviè proponitur ad fidem supernaturalem negari potest: habemus enim circa fidem libertatem contrarietatis. Ergo apparet probabile oppositum; nemo enim negare potest obiectum, cuius oppositum non apparet probabile. Addit plus lucis resplendere in motivo probabili, quam in pure obscuro, qualis est existentia revelationis in se spectatæ, seclusa propositione Ecclesiæ.

Respondetur. Obiectum motivum obscurum non proponitur plus quam probabile. hoc est proponitur ut non includens in se rationem motivam certissimam. Nego Antecedens. Non proponitur plus quam probabile, hoc est inevidenter, quam inevidentiam dicit, esse probabile. Concedo Antecedens. Quæ inevidentia facit, ut revelatum negari possit, quamvis non putetur esse probabile, oppositum ei, quod dicit Veritas prima. Quamvis autem propositio Ecclesiæ sit probabilis nonnisi, hoc est, nonnisi moraliter certa, non sequetur, quod motivum fidei possit esse nonnisi probabile: quia illo priori posito, habetur, unde adhuc possit procedi ad actum certissimum, ratione scilicet motivi, quod non haberetur, si etiam motivum, esset nonnisi probabile. Ex quibus solve ea, quæ adfert Quirós num. 12.

DIFFICULTAS V.

An Cognitio deducta ex præmissis supernaturalibus sit ipsa supernaturalis?

EST quæstio spectans ad Proemililia Theologiae, sed in hunc locum rejecta, quia non potuisset tractari, his quæ superius sunt dicta, non expensis; attendetur autem in præsentia non ad hoc: An deductio illa vel illatio possit formalisare actum fidei; de hoc enim aliàs. Nec attendetur ad hoc: An obiectum Conclusionis sit futurum de fide quia hoc est jam expensum, sed attendetur maximè ad supernaturalitatem. Ex quo etiam deducetur: An Theologia sit supernaturalis.

Dicendum Primò. Non repugnare ut assensus

ita deductus sit in Entitate Naturalis. Est contra Molinam, Fons. Fassi. Gillium & alios apud Ripaldam de Ente supernaturali disputatione 55.

PROBATUR Primò. Quia id non repugnat. **PROBATUR Secundò.** Quia si deberet ille assensus esse supernaturalis, ex eo id oriretur, quia inniteretur motivo supernaturali, hoc autem non arguit necessariò supernaturalitatem, ut dictum aliàs.

PROBATUR Tertiò. Quia nullum prædictum est in hoc assensu exigivum supernaturalitatis, quod enim? Stat Conclusio solutione argumentorum quæ collegit Ripalda.

Obijcit Primò. Cognitio respiciens motivum supernaturale, est supernaturalis, imò etiam si respiceret præmissam naturalem unam, & aliam supernaturalem: quia motivum intellectus ad iudicium Unionis extremorum inter se, est Unio extremorum cum medio. Sed ubi etiam unum extremum est supernaturale, tota Unio est supernaturalis, ut videre est in unione Verbi cum Humanitate, & Gratia cum Anima. Ergo.

Respondetur Negando Majorem. Quod adfertur de Unione non tenet: quia quod Unio illa physica sit supernaturalis, ex eo oritur: quia si foret naturalis, esset debita subiecto naturali, si esset debita subiecto naturali, etiam extremum quod connectit foret jam debitum: est enim illa Unio essentialis determinatio, ad illud extremum habendum. Sique foret debitum extremum quod connectit, non foret jam illi subiecto supernaturalis, & tamen supponitur illi esse supernaturalis. Non sequeretur autem adhuc aliquod supernaturale, reddi debitum alicui naturali, quantumvis assensus esset naturalis, & concurrant ad illum præmissæ supernaturales, præcipue cum illa motiva, non producant physice illum assensum.

Obijcit Secundò. Conclusio deducta ex cognitione supernaturali, suapte naturâ supponit principium supernaturale. Conclusio enim suapte naturâ supponit præmissas, consequenter non contrahitur inter Vires solius naturæ.

Respondetur. Supponit illa Conclusio principium motivum supernaturale sed non effectivum. Non apparet autem, qui præcisè, motivum, supernaturalisare possit.

Instat. Cognitio quæ suapte Naturâ esse non potest sine prævia cognitione supernaturali, est absolute supernaturalis, sicut actus qui suapte naturâ non potest esse sine vocatione supernaturali, est supernaturalis.

Respondetur. Etiam actum, non ex vocatione supernaturali supernaturalitatem desumere. Unde etiam vocatione supernaturali posita, potest sequi dissensus peccaminosus naturalis. Eritque tunc ille actus supernaturalis: quia supponit principium sui effectivum supernaturale.

naturale. Non ostenditur autem, quod in presenti ad prædictum assensum, non possit dari principium naturale.

Objicit Tertiò. Cognitio deducta ex duplici præmissa, una de fide & alia scientifica, est in evidens & certa, nulla autem naturalis cognitio, potest esse inevidens & cæta.

RESPONDETUR. Negando Minorem ut videre est in assensu Hæretici, ad communes nobiscum articulos.

DICENDUM est Secundò. *Non repugnare ut assensus ita deductus sit in Entitate supernaturalis.*

PROBATUR Primò. Quia id non implicat.

PROBATUR Secundò. Quia non repugnat principium illius cognitionis effectivum supernaturale.

PROBATUR Tertiò. Quia fieri potest, ut sit illa cognitio naturalis. Ergo & supernaturalis: erit enim hæc ipso magis proportionata motivis Conclusio.

Objicitur Primò. Illa cognitio non habet objectum formale supernaturale, nam assentiremur cognitioni propter connexionem cum præmissis, quæ connexio naturalis est.

RESPONDETUR. Non repugnare principium assensivum supernaturaliter, connexioni naturali.

Objicitur Secundò. Non sufficit ad supernaturalitatem præmissa supernaturalis motivæ, sed etiam debet esse principium effectivum supernaturale.

RESPONDETUR. Concedendo, & Negando tale principium repugnare.

Objicitur Tertiò. Principium illius cognitionis, non erunt supernaturales præmissæ, sed cognitio bonitatis illationis, quæ naturalis est.

RESPONDETUR. Negando quod Connexio illa naturalis, non possit attingi actu supernaturali.

DICENDUM est Tertiò. *Concurrente habitu Theologico ad illam notitiam erit illa in Entitate naturalis. Dixi Concurrente habitu Theologico, quia posset tunc simul exercere se suo actu fides, & elicere actum supernaturalem.*

PROBATUR Primò Conclusio. Non sunt multiplicanda Entia sine necessitate. Ergo nec supernaturalisanda; nulla autem necessitas ponendæ Theologiæ supernaturalis.

PROBATUR Secundò. Quia Ethnicus potest ex principiis fidei assumptis discursum conficere, qui certè erit naturalis, & tamen ex sola assumptione illarum præmissarum, arguitur Theologiam, esse actu supernaturalem.

PROBATUR Tertiò. Quia datur quædam Metaphysica Christiana quæ tamen non est su-

pernaturalis, licet assumat multa ex fide. Ergo idem dicendum de Theologia.

Objicit Primò Ripalda. Christus Dominus usus est discursu per actus scientiæ infusæ; fideles per actus fidei infusæ, arguunt ex revelatione Dei mysterium revelatum; plura item iudicia prudentiæ infusæ, quæ immediata non sunt, per discursum habentur.

RESPONDETUR. Supposito quod scientia infusa Christi, sit nonnisi quoad modum supernaturalis, producat tantum naturales actus. In suppositione autem quod sit in Entitate supernaturalis, disparitas erit. Quia nec per rationem, nec per Auctoritatem constat nobis, quod Theologia sit principium supernaturale. Fideles utuntur discursu, tanquam aliquo prævio, vel imperato ab habitu supernaturali fidei. Idem dicendum de prudentia, quæ ex supposito discursu naturali tum primum format dictamen supernaturale, Virique Spirituales positis notitiis naturalibus, tum primum accedente illuminatione supernaturali, faciunt affectus supernaturales.

Objicit Secundò Idem. Conclusiones Theologica, quas studio principiorum fidei assequimur, referunt Patres in gratiam Dei. Ergo illæ sunt supernaturales.

RESPONDETUR. Hanc gratiam esse quidem gratiam, sed ordinis naturalis, non excluduntur tamen illuminationes supernaturales. Quæ ipsa illustratio, non supernaturalisat illos actus, sicut nec supernaturalisat Conclusionem, præmissæ supernaturales.

Objicit Tertiò. Cognitio Theologica potest movere voluntatem in actus supernaturales & pro hoc citat Prosperum. Ergo &c.

RESPONDETUR. Negando Antecedens. Auctoritas Prosperi non plus vult, quam quod fides faciat nos res intelligere, sequensque discursum naturalem, illuminatio Spiritûs Sancti, sufficit ut sit supernaturalis.

Objicitur Quartò. Conclusio Theologica, quæ essentialiter est Conclusio, & præmissas supponit, exigit oriri à præmissis supernaturalibus fidei, ex quibus de facto deducitur. Ergo erit intrinsecè supernaturalis.

RESPONDETUR. Negando, quod Conclusio Theologica exigit præmissas nonnisi supernaturales, hoc est supernaturali lumine præsentabiles, licet exigit præmissas supernaturales, hoc est aliàs à veritate prima revelatas & ab habitu fidei attingibiles: suppositaque Conclusionem, non potest dici, quod exigit præmissas nonnisi lumine supernaturali proponendas: nam & essent supernaturales ut supponitur; & non essent quia exigerentur ab aliquo naturali: quia tamen Theologia exigit præmissas procedentes ex eo, quia hoc est articulus fidei, cumque non adimant vim nobiliori agenti, ut si velit præstare id, quod præstat ignobilius, in eodem genere præstet

præstet & ipsum illud nobilius, sit ut præmissæ etiam lumine supernaturali propositæ, possint ad illam Conclusionem concurrere.

ADDO. Cum præmissæ à Conclusionem non nisi præsupponantur tanquam motivum & non tanquam principium effectivum, mera præsuppositio illarum præmissarum, supernaturalitatisque earundem, non potest arguere in præsupponente supernaturalitatem. Certè enim vis sublativa gratiæ supernaturalis, inclusa in peccato, præsupponit gratiam supernaturalem, nec tamen illa ipsa vis, est in peccato supernaturalis; quod etiam ex aliis illustratur. Nam si color in duplici loco ponatur, naturaliter videbitur, & tamen præsupponitur miraculum supernaturale quoad substantiam. Et ratio est: quia non repugnat ut entitas illa, adhuc habeat superantiam omnis creaturæ vel creabilis substantiæ, adeoque supernaturalitatem, licet nonnisi ex suppositione illius, aliqua naturalia oriri possint. præcipuè cum illa præsuppositio, non sit præsuppositio supernaturalis, quæ supernaturalis est, sed quæ convenit in aliqua ratione communi cum naturalibus; ad eum modum quo licet supernaturale intuitivè non possit nosci naturaliter, potest nosci naturaliter, secundum rationes communes.

INSTAT Primò. Electio supernaturalis præsupponens intentionem finis supernaturalis, & ipsa est supernaturalis. Ergò & Conclusio præsupponens præmissas supernaturales.

RESPONDETUR. Disparitatem esse; quia datur principium electionis supernaturale, hoc est prudentia supernaturalis, idquè ex doctrina Patrum, quæ non procedit de supernaturalitate Theologiæ: præcipuè cum non exigantur præmissæ, nonnisi lumine supernaturali præsentari.

INSTAT Secundò. De facto natura est elevata ad ordinem supernaturalem, & potest esse Conclusio formalis Theologica, supponens per se præmissas supernaturales. Ergò de facto confertur à Deo auxilium, ad huiusmodi Conclusionem: DEUS enim non denegat connaturalia principia.

RESPONDETUR. Naturam esse quidem elevatam ad ordinem supernaturalem, sed non in omnibus, nec ostenditur, quòd elevata sit ad ordinem supernaturaliter Theologisandi. Cumque Conclusio illa non exigat per se præmissas nonnisi supernaturali lumine præsentandas, etiam si ita præsententur, non erit exigentia ponendæ Conclusionis supernaturalis: quia nec illas præmissas, quæ supernaturales exigebat. Hinc redibit ad statum naturaliter agendi, ne ita multiplicetur modus agendi, non secundum exigentiam. Jam verò, nonnisi, per se exigentia, fundat connaturalitatem. Unde posito, quòd aqua inducatur calor, non est exigentia in aqua & connaturalitas, ut conservetur ille calor, sed reditus ad naturam; ita & in Theo-

logia, non est exigentia ut præmissæ nonnisi lumine supernaturali præsentatæ moveant, idque redibit intellectus ad Naturam, & Conclusionem naturalem.

INSTAT Tertiò. Tales conclusiones maxime conferre ad tuendam veritatem fidei supernaturalis, cum ex falsitate illarum colligetur, falsitas principiorum.

RESPONDETUR. Etiam Metaphysica deferunt ad tuendam fidem, quæ tamen est naturalis: & non interest ut illa defensio fiat actu supernaturali, cum tota vis defendendi, fundata sit modo procedendi scientificè.

Objicit Quintò. Principium illius Conclusionis, potest esse auxilium supernaturale, imò & ipsa fides: quia etiam habitus influens in intentionem finis, influit in formalem electionem, Conclusio autem est quædam electio.

RESPONDETUR. Possè elici illam Conclusionem, auxilio, non supernaturali, si illud datur, nec Auctoritas nec ratio ostendit. Conclusio & electio eodem modo se habent in genere dependentiæ, sed non in genere Entis & ordinis. Adde Conclusionem illam, non respicere ad æquatè idem objectum cum præmissis, quia innititur bonitati illationis, ad quam non attendunt præmissæ: & insuper non est ratio supernaturalis attendentiæ, ad idem objectum formale.

QUÆSTIO III.

An Putativè revelatum sit Objectum Fidei Divinæ?

HÆC quæstio tractari solet ab aliis, ubi tractant de certitudine Fidei, locum tamen etiam hinc non incommode habet, tanquam opusculum seu non objectum fidei.

DICENDUM est. *Putativè revelatum non posse esse objectum Fidei Divinæ*; hoc est quando aliquis putat etiam invincibili ignorantia deceptus, quòd hoc sit revelatum, & tamen de facto non est revelatum, quantumvis conetur elicere actum fidei, ad illum actum, effectivè non concurrerit habitus fidei Divinæ.

PROBATUR Primò. Conclusio Auctoritate Tridentini Sess. 6. cap. 9. ubi docens neminem sine revelatione posse scire de Confirmatione sui in gratia, prædestinatione, justificatione sui subdit: *Cum nullus scire id valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum*; subesset autem ei falsum, si quod non est revelatum, crederetur, quòd sit revelatum.

RESPONDEBIS. Intentionem Tridentini non fuisse, eo loco definire, quòd habitus fidei infusus, non concurrat ad actum cuius objectum est nonnisi putativa revelatio: sed definire, quòd cui non est revelatum de sua verbi gratia justificatione, quòd id non possit credere fide, cui non possit subesse falsum, per quod ipsum supponitur, posse id credere fide, cui possit subesse falsum.